

Ctesiphontem, Secundum, Indaletium, Caecilium, Hesy-  
chium et Euphrasium  
ad agnitionem tui nomi-  
nis venire tribuisti : con-  
cede propitius; ut quos  
festivo veneramur obsé-  
quio, eorum intercedenti-  
bus méritis, aeterna gau-  
dia consequamur. Per  
Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones  
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Leccio ib.

**B**UO tempore pri-  
mam in Christiā-  
nos persecutiō-  
nem Nero immanissimus  
imperator excitavit, bea-  
tissimi Apostoli Petrus et  
Paulus Torquatū, Ctesiphontem,  
Secundum, Indaletium, Caecilium,  
Hesy-  
chium et Euphrasium beati  
Jacobi Apostoli discipu-  
los, Episcopos Romae ordi-  
nauerunt, et ad praedicandū  
Christi Evangelium  
in Hispaniam miserunt.  
Cum autem ad eam pro-  
vinciam pervenissent, prope  
Accitanam urbem, in  
viridi campo, ut longitu-  
dine itineris lassati, ali-  
quantulum quiescerent,  
constiterunt. Cumque ad  
civitatem, victus emendi  
causa, aliquos misissent,  
pagani, qui tunc forte  
deorum suorum festa de-  
bacchantes peragebant,

visis diversi habitus ac re-  
ligionis peregrinis homi-  
nibus, in eos furētes pro-  
siliunt; et ad sanctos per-  
venientes, omnes pariter  
in fugam actos usque ad  
flumen persequuntur.

℟. Sancti tui.

Leccio v.

**S**ED ut viri Dei pon-  
tem pertransierunt,  
pons, qui mirae magnitudi-  
nis et firmissimus erat,  
concidit, et gentiliū mul-  
titudinem sanctos perse-  
quentem pariter oppres-  
sit, ac demersit in aquas.  
Quo miraculo accolae ter-  
riti, eos postea revocare,  
et in honore habere coe-  
perunt. In primis Luparia  
quaedam praecleara mulier  
benigne illos suscepit, at-  
que ab his fidem edocta,  
in oratorio, quod ipsa  
construxerat, baptizata  
est. Cujus exemplo quam-  
plurimi in Christum cre-  
dentes, relictis idolis, ba-  
ptismi sacramentum sus-  
ceperunt.

℟. Verbera carnificum.

Leccio vj.

**H**UJUS igitur urbis, quae  
tunc prima Christi  
Domini fidem in Hispania  
recepit, beatus Torquatus  
Episcopus designatus est :  
ac ceteris ad alias Hispaniae  
terras abeuntibus,  
ipse Acci remansit, ubi  
multis pro Christo per-

functus laboribus, demum  
Martyr occubuit. Eius cor-  
pus in eadem urbe (quae  
nunc Guadix appellatur)  
primo sepultum est. Juxta  
cujus sepulcrum olim ar-  
bor olivae erat, quae in  
natali Martyris florēbat,  
simulque fructus uberes  
emittēbat, e quibus oleum  
expressum ad varios mor-  
bos curandos adhibebatur.  
Inde in Gallaciam trans-  
latum, in quodam cenobio  
ordinis sancti Benedi-  
cti condigno honore as-  
servatur. Sodales sancti  
Torquati et ipsi in variis  
urbibus Episcopi constitu-  
ti, Christi Evangelium  
praedicarunt, et in eis quie-  
verunt : Ctesiphon Vergii,  
Secundus Abulae, Indale-  
tius Urci, Caecilium Illi-  
beri, Hesy-chius Cartējae,  
Euphrasius Illiturgi, quo-  
rum corpora ad alias post-  
ea Hispaniae urbes trans-  
lata sunt. ℟. Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia.  
Dominus ac Redemptor.  
de Communi j. loco.

DIE XXIII. MAIL.

Apparitionis

S. Jacobi

Apostoli et Hispaniae

Patroni. Duplex.

IN I. VESPERIS.

Aeterna de Laudibus. Psalmi  
ut in j. Vesp. de Commu-  
ni Apostolorum.

Capitulum et Hymnus  
de Laudibus.

℟. Constitutes eos princi-  
pes super omnem terram.  
℟. Memores erunt nomi-  
nis tui Domine.

Ad Magnificat, Aeterna. Vi-  
sitavit nos per sanctum  
suum Apostolum, et fecit  
salutem de inimicis no-  
stris Dominus Deus no-  
ster.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Regem  
triumphantem in terris,  
\* Venite adoremus.

Ps. Venite.

Hymnus.

**J**ACOBUM celebret for-  
tis Iberia,  
Jacobum méritis tollat  
honoribus,  
Per quem, barbarici ne-  
scia foederis  
Victrix imperat hostibus.  
Vectigal trucibus pendere  
flebile  
Urgetur dominis imperio-  
sius;  
Centenasque lupis sponte  
rapacibus  
Lectas sistere virgines.  
Aversata nefas, arma fe-  
rocior,  
Poscit : mox Arabem, fida  
Ramirio,  
It contra : numero sed  
nimis impari  
Virtus cedere cogitur.  
Quid sperare datur? Pro-  
micat aethere

Proles horrifici clara tonitru,

Lunatasque acies, agmina  
barbara

Sacro lumine disjicit.

Ardens in medios fertur  
acinaces,

Instatque attonitis, undi-  
que pavidos

Maurorum cuneos rumpit,  
et integra

Victor proterit agmina.

Esto exercituum non su-  
perabili

Ductori ac Domino jugis  
honor Patri,

Cum Prole unigena, al-  
moque Pneumate,

Per labentia saecula.

Amen.

Añæ, Psalmi et *XX*. de  
Communi Apostolorum.

In I. Nocturno.

De libro secundo Macha-  
bæorum.

*Leccio j.* Cap. 11.

**L**ysias, procurator  
regis, et propin-  
quus, ac negotio-  
rum præpositus, graviter  
ferens de his, quæ acci-  
derant, congregatis octo-  
ginta millibus, et equitatu  
universo, veniebat adver-  
sus Judæos, existimans se  
civitatem quidem captam  
Gentibus habitaculum fa-  
cturum, templum vero in  
pecuniæ quæstum sicut  
cetera delubra Gentium,  
habiturum, et per singu-  
los annos venale sacerdoti-

tium, nusquam recogi-  
tans Dei potestatem, sed  
mente effrenatus, in mul-  
titudine peditum, et in  
millibus equitum, et in  
octoginta elephantis con-  
fidebat. Ingressus autem  
Judæam, et approprians  
Bethsuræ, quæ erat in  
angusto loco, ab Jerosó-  
lyma intervállo quinque  
stadiorum, illud præsi-  
dium expugnabat.

*R.* Procedens Jesus juxta  
mare Galilææ, vidit duos  
fratres Jacobum Zebedæi,  
et Joannem fratrem ejus  
in navi, \*Et vocavit eos :  
qui statim, relictis rétibus  
et patre, secuti sunt Dó-  
minum. *V.* Erant Jacó-  
bus et Joannes fratres in  
navi cum Zebedæo patre  
eorum, reficientes rétia  
sua. — Et vocavit.

*Leccio ij.*

**U**t autem Machabæus,  
et qui cum eo erant,  
cognoverunt expugnari  
præsidia, cum fletu et lá-  
crymis rogabant Dómi-  
num, et omnis turba simul,  
ut bonum Angelum mit-  
teret ad salutem Israel. Et  
ipse primus Machabæus,  
sumptis armis, ceteros ad-  
hortatus est simul secum  
periculum subire, et ferre  
auxilium fratribus suis.  
Cumque pariter prompto  
ánimo procederent, Jero-  
sólýmis apparuit præce-

dens eos eques in veste  
candida, armis aureis ha-  
stam vibrans. Tunc om-  
nes simul benedixerunt  
misericordem Dóminum,  
et convaluerunt ánimis :  
non solum hómines, sed  
et béstias ferocissimas, et  
muros ferreos parati pe-  
netraré.

*R.* Vocavit ad se Dómi-  
nus Jacobum Zebedæi, et  
Joannem fratrem Jacóbi,  
et fecit ut essent secum  
inter duodecim, et ut mit-  
teret eos prædicare. \*Et  
impósuit eis nómina Boa-  
nèrges, quod est filii toni-  
trui. *V.* In omnem terram  
exivit sonus eorum, et in  
fines orbis terræ verba  
eorum. — Et impósuit.

*Leccio iij.*

**I**bant igitur prompti de  
celo habentes adju-  
torem, et miserantem su-  
per eos Dóminum. Leó-  
num autem more impetu  
irruentes in hostes, pro-  
straverunt ex eis undecim  
millia peditum, et equi-  
tum mille sexcentos : uni-  
versos autem in fugam  
vertérunt, plures autem  
ex eis vulnerati nudi eva-  
serunt. Sed et ipse Lysias  
túrpius fugiens evásit. Et  
quia non insensatus erat,  
secum ipse reputans, fa-  
ctam erga se diminutió-  
nem, et intélligens invi-  
ctos esse Hebræos omni-

poténtis Dei auxilio inni-  
tentes, misit ad eos, pro-  
misitque se consensurum  
omnibus, quæ justa sunt,  
et regem compulsurum  
amicum fieri. Annuit au-  
tem Machabæus précibus  
Lysia, in omnibus utili-  
tati consulens.

*R.* Cum venisset Jesus  
in domum principis syn-  
agoga, \*Non permisit in-  
trare secum quemquam  
nisi Petrum, et Jacobum,  
et Joannem, et patrem et  
matrem puellæ. *V.* Et  
dixit : Nolite flere, non  
est mórtua puella, sed  
dormit. — Non. Glória  
Patri. Non.

In II. Nocturno.

*Leccio id.*

**I**nter innúmera éa-  
que máxima be-  
neficia, quæ beato  
Jacóbo Apóstolo, ac tute-  
lari suo munificentissimo  
accepta refert Hispania,  
illud imprimis memorán-  
dum et æterna grati áni-  
mi significatióne recolén-  
dum est, quod ad Clavi-  
gium Rivógiæ montem  
olim obtinuit. Cum enim  
Saraceni, Hispaniæ lati-  
sime dominantes, centum  
núbiles puellas a Christiá-  
nis exigere consuevissent,  
easque Abderramánus po-  
tentissimus ipsorum rex  
tribúti nómine repræsen-  
tari sibi mináci legatióne

flagitaret, Ranimirus, qui Legionis regnum nuper adierat, ad effrontem Mauri postulantis audaciam totus inhorruit, paratusque extrema quæque experiri potius, quam tantum christianæ fidei probum, tantam nomini Hispano labem aspergere: aut pati, ut christianæ virgines Mauris, id est, margaritæ porcis, innocentes agnæ voracibus lupis traderentur, ex tota ditione, quotquot erant armis idonei, ad signa vocavit: coactoque exercitu, quem Præsules, Sacerdotes, alique viri sacri, ut in communi discrimine, sponte sequebantur, in Maurorum fines ultro animosus irrupit. Abderamamus contra, potentia tumidus, repulsa ferox, et Ranimiri provocatiōne ferocior, auctis novo delectu veteranis copiis, Africa etiam in auxilium evocata, impigre Christianis occurrit.

✠ Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum: \* Et transfiguratus est ante eos. ✠ Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes. — Et transfiguratus.

**Lectio v.**  
**A**D Alvéldam, Rivógiæ oppidum, colatis signis, totis utrimque viribus, et tanta contentione depugnatum est, ut atrox cruentaque dimicatio diem extraxerit, ancipiti semper et pendente victoria, donec ea sub noctem in Mauros jam inclinante, Ranimirus fatigatas et promptissimorum nece imminutas copias in proximum collem, cui Clavigio nomen est, opportune subduxit. Loco pro tempore munito, et vulneratis cura adhibita, in supræma rerum desperatione luctuque omnes, ut fit, in vota et preces effusi, regem mœrore confectum et de suorum salute sollicitum anxiumque somnus oppressit. Dormienti objecta est species viri augustior, quam pro humano habitu, et sciscitanti quisnam esset, Sum, inquit, Jacobus Apostolus, cui a Domino Hispaniæ tutela commissa est. Ne time: mane adero, et me duce de circumfusa Sarcenorum multitudine illustrem victoriam reportabis. Rex ad has voces evigilans, et nuntio lætus Præsules, magnates, duces ad se vocat, et de re tota edoctus ac coelestibus

promissis animatos, militum etiam animos erigere, manipulos ordinare, aciemque instruere jubet.

✠ Potestis bibere calicem quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? dixit Jesus Jacobo et Joanni filiis Zebedæi. \* At illi dixerunt ei: Possumus. ✠ Calicem quidem quem ego bibo, bibetis, et baptismo quo ego baptizor, baptizabimini. — At illi.

**Lectio vj.**

**T**UM, signo dato Hispani e vertice montis, velut impavidi leones aut ursi præcipites ruunt, irruuntque in Mauros mira alacritate magnisque vocibus sanctum Jacobum ingeminantes. Apóstolus, uti erat pollicitus, equo insidens candidissimo, niveum vexillum præferens gladioque fulmineo minax, Hispanos suos anteire atque in hostem ducere visus est, equoque et ense acerrimus, Mauros furentes sternere ac proculcare pene sequentibus Hispanis, et per attonitas jam phalanges terrorem et stragem late spargentibus. Deinde afflictæ ac laceræ illæ Hispanorum reliquiæ, cæsis septuaginta circiter Sarcenorum millibus, reliquis

profligatis, jugo Mauricæ servitatis excusso et turpissimo vectigali prorsus abólito, de hoste superbissimo et paulo ante victore gloriöse pariter ac miraculose triumpharunt. Rex, Præsules, magnates, duces, victorque exercitus, secundum gratias Deo actas, universam Hispaniam beato Jacobo vectigalem fecere certæ mensuræ frumenti vinique pro singulis terræ júgeris, primitiarum more, ex voto pendendæ. De quo exstat luculentum Ranimiri regis diploma, aliorumque etiam regum diplomatis insertum confirmatumque, Romanorum Pontificum decretis roboratum et perpétua ad hodiernam diem observantia ratum ac firmum. Porro victoriam adeo mirabilem et Hispaniæ salutarem Deo ac beato Jacobo patróno suo ascribendam Hispania ipsa anniversaria gratitudine ac celebritate profitetur.

✠ Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem secum, et cepit pavere et tædere. \* Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. ✠ Sustinete hic et vigilate mecum. — Et ait. **Gloria Patri.** Et ait.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

**I**n illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

In Natali S. Jacobi Apost.

**R**edendum est, quod illa maxime causa vel mulierem matris affectum, vel carnales adhuc discipulorum animos ad hæc postulanda concitaverit, quia meminissent sermonis Domini, cum ait: Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim: nossetque se inter discipulos specialius a Domino diligi, se specialius cum beato Petro conscios sæpe factos arcatorum, quæ ignorarent ceteri, quod frequens sancti Evangelii textus indicat.

**R.** Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: \* Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. **V.** Ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et Scribas, et ex illis occidetis. — Occidit.

Lectio vij.

**H**inc est enim, quod ipsis quoque, quomodo Petro, novum ab illo nomen imponitur: ut sicut ille, qui prius Simon dicebatur, per fortitudinem ac stabilitatem fidei impugnabilis vocabulum Petri meruit, ita et isti Boanerges, hoc est Filii tonitruui, vocarentur: quia videlicet et vocem Patris super Dominum in monte clarificatum una cum Petro audirent, et plura aliis discipulis mysteriorum secreta cognoscerent.

**R.** Iste est qui ante alios Apostolos primus plantavit Ecclesiam sanguine suo: \* Cujus corpus in Gallæciam delatum per totum orbem gloria illustratur. **V.** O sidus, o decus Hispaniæ! sancte Jacobe Apostole, intercède pro nobis ad Deum, qui te elegit. — Cujus corpus. Gloria Patri. Cujus corpus.

Lectio ix.

**Q**uia vero iidem filii Zebedæi promptum gerébant animum ad bibendum calicem Domini, constat eos cum ceteris Apostolis dignitatem sedium, quam quærebant, accepisse: non tamen ea distinctione qua petébant, sed ambo prius ad sinistram ejus ad tempus,

ambo nunc ad dexteram ejus sedere perpetuo meruerunt. A sinistris quippe Christi sedebant, cum regendis in hac vita fidelium populis apostolico jure præsidèrent, illo nimirum in regno, de quo ipse ait: Regnum Dei intra vos est. Sedent a dextris nunc in illa, quæ mortem nescit, vita, iudices mundi cum illo, utramque hanc sedem illis ipso Filio cum Patre parante.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Accessit ad Jesum \* mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.

2. Dic, ut sedeant \* hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.

3. Potestis bibere calicem, \* quem ego bibiturus sum? dicunt ei: Possumus.

4. Calicem quidem meum bibetis: \* sedere autem ad dexteram meam et ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

5. Quicumque voluerit \* inter vos major fieri, sit vester minister.

Capitulum. 1. Cor. 4.

**F**ratres, Puto, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tam-

quam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.

Hymnus.

**D**efensor alme Hispaniæ

Jacobe vindex hostium, Tonitruui quem filium Dei vocavit Filius.

Huc cœli ab altis sedibus Converterte dexter lumina, Audique læti debitas Grates tibi quas solvimus.

Grates refert Hispania, Felix tuo quæ nomine Ductuque perstat libera, Vitatque gentis dedecus.

Tu, cum jaceret barbaris Cedens et impar hostibus, Præsens inexpugnabile Robur dabas Ramirio.

Tu, bella cum nos cingerent,

Es visus ipso in proelio Equoque et ense acerrimus

Mauros furentes sternere. Per te redemptæ virgines Laudis rependant cantica,

Nosque a tributo liberi, Hymni tributum pendimus.

Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu Paraclito, Et nunc et omne in sæculum. Amen.

**V.** Annuntiaverunt opera Dei. **R.** Et facta ejus intellexerunt.

**Ad Bened. Añã.** Mirabilem sancti Jacobi Apóstoli hódie psalléntes victóriam, máximo cum gáudio laudémus nomen Dómini.

**Oratio.**

**D**Eus, qui Hispaniarum gentem beato Jacóbo Apóstolo tuo protegendam misericórditer tribuísti, et per eum ab imminénti exitio mirabiliter liberásti : concéde quæsumus, ut eódem protegente pace perfruámur ætérna. Per Dóminum.

**AD TERTIAM.**

**Capit. Fratres, Puto. ut supra.**

**R. br.** In omnem terram, \* Exiit sonus eórum. In. **V.** Et in fines orbis terræ verba eórum. Exiit. **Glória Patri.** In.

**V.** Constitues eos principes super omnem terram. **R.** Mémores erunt nóminis tui Dómine.

**AD SEXTAM.**

**Capitulum. i. Cor. 4.**  
**N**OS stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles.

**R. br.** Constitues eos principes, \* Super omnem terram. Constitues. **V.** Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. **Glória Patri.** Constitues.

**V.** Nimis honoráti sunt amici tui Deus. **R.** Nimis confortátus est principátus eórum.

**AD NONAM.**

**Capitulum. i. Cor. 4.**  
**N**AM si decem millia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

**R. br.** Nimis honoráti sunt, \* Amíci tui Deus. Nimis. **V.** Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. **Glória Patri.** Nimis.

**V.** Annuntiavérunt ópera Dei. **R.** Et facta ejus intellexérunt.

**IN II. VESPERIS.**

**Añã, Capit. et Hymnus de Laudibus. Psalmi ut in ij. Vesperis de Comuni Apostolorum.**

**V.** Nimis honoráti sunt amici tui Deus. **R.** Nimis confortátus est principátus eórum.

**Ad Magnificat, Añã.** O beátum Apóstolum, qui inter primos eléctus, primus ómnium Apóstolorum Dómini cálicem bibere méruit! O gloriósum Hispaniæ regnum, tali pignore ac Patróno munitum, per quem fecit illi magna, qui potens est.

DIE XXX. MAIL.

**S. Ferdinandi Regis Hispaniæ Conf. Duplex j. class. cum Oct.**

**IN I. VESPERIS.**

**Añã de Laudibus. Psalmi ut in j. Vesperis de Comuni Apostolorum. Capitulum. i. Mach. 3.**

**Acile est conclúdi** multos in manus paucórum, et non est differéntia in conspéctu Dei cœli, liberáre in multis, et in paucis, quóniam non in multitudine exercitus victória belli, sed de cœlo fortitúdo est.

**Hymnus.**

**Q**uale, cum cœlum tonat, atque densæ Fúlgurant nubes, ruit et vagátur Fulmen in partes várias, agénte Núminis ira.

**Arcium prodest nihil alta moles** Túrbinem contra, volucrésque flammæ, Missus e cœlo ruit ultor ignis

**Súmmaque tangit.** Non secus circum metuéndam ducens, Arma Fernándus premit acer hostes, Péronant late loca militári

**Pulsa fragóre.** Quid ducem contra válidum phalanges

Pérfidi Mauri potuére? quanta

Strage vexillum volitans, crucisque Téssera vicit?

Agminum ductor, Deus unus, una

In tribus virtus, tibi corda semper

Glóriam content, tibi nostra soli

Arma triúmphent.

Amen.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

**R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Añã.** Agaréni et alienigenæ dixerunt : Hereditáte possideámus sanctuárium Dei, Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stípulam ante faciém venti, et cognóscant quia nomen tibi Dóminus : tu solus Altissimus in omni terra.

**Oratio.**

**D**Eus, qui beato Confessóri tuo Ferdinándo præliári prælia tua et fidei inimicos superáre dedísti : concéde, ut ejus nos intercessióne muniti, ab hostibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum.

**AD MATUTINUM.**

**Invitat.** Regem regum, et Dóminum dominántium, \* Venite adorémus. **Ps.** Venite, exsultémus.

**Hymnus.**

**N**ON decus vanum, vel  
iniqua laudis  
Aura Fernandum neque  
cæcus ardor

Impium Maurum mérita  
domáre

Cæde coégit.

Cáritas movit pátriæ  
fidésque

Cordis accénsis animáta  
flammiis,

Pulchra virtútum comi-  
tánte longo

Ordine virtus.

**S**ub jugo Mauræ ditiónis  
olim

Hispalis longum gemuis-  
se docta,

Pristinæ demum repará-  
vit altos

Legis honóres.

**I**nde vicinas éadem beá-  
vit

Fáustitas urbes, pietas re-  
vixit,

Et salus, et pax, et ubique  
moris

Cultus honésti.

**A**gminum ductor, Deus  
unus, una

In tribus virtus, tibi corda  
semper

Glóriam cantent, tibi no-  
stra soli

Arma triúmphent.

Amen.

In I. Nocturno.

**A**ñá. Quæsivít Dóminus  
sibi virum juxta cor suum:  
et præcépit ei ut esset dux  
super pópulum suum.

**Psalmi trium Nocturn. de  
Communi Conf. non Pont.**

**A**ñá. Confirmávit Dómi-  
nus regnum in manu ejus:  
crevit et magnificátus est  
usque in sublime.

**A**ñá. Fui rex in Jerusa-  
lem, ecce magnus effectus  
sum, sapiéntia quoque  
perseverávit mecum.

**V.** Amávit eum Dómi-  
nus, et ornávit eum.

**R.** Stolam glóriæ induit  
eum.

De libro Sapiéntiæ.

**Lectio j. Cap. 6. et 8.**



Udíte, reges, et in-  
telligite, discite,

júdicés finium ter-  
ræ. Præbéte aures vos,

qui continétis multítudi-  
nes, et placétis vobis in

turbis natiónum: quóniam  
data est a Dómino potés-  
tas vobis, et virtus ab

Altíssimo, qui interrogábit  
ópera vestra, et cogita-  
tiónes scrutábitur. Ad vos

ergo, reges, sunt hi ser-  
mónes mei, ut discátis sa-  
piéntiam, et non excidátis.

Qui enim custodierint  
justa juste, justificabún-  
tur: et qui didicerint ista,

invénient quid respón-  
deant. Concupiscite ergo

sermónes meos, dilígite  
illos, et habébitis discipli-  
nam. Clara est, et que

nunquam marcéssit, sa-  
piéntia, et fáciie vidétur  
ab his, qui diligunt eam,

et invenitur ab his, qui  
quærunt illam. Præoccu-  
pat qui se concupiscunt,  
ut illis se prior osténdat.

**R.** Dómine Deus, tu re-  
gnáre fecisti servum tuum  
pro patre meo; ego autem

sum puer párvulus ignó-  
rans egréssum et intró-  
itum meum. \* Dabis ergo

servo tuo cor dócile, ut  
pópulum tuum judicáre  
possit. **V.** Quis enim pó-  
terit judicáre pópulum

isistum, pópulum hunc tuum  
multum? — Dabis.

**Lectio ij.**

**Q**UI de luce vigiláverit

ad illam, non labo-  
rábit: assidéntem enim

illam fóribus suis invéniet.

Cogitáre ergo de illa sen-  
sus est consummátus: et

qui vigiláverit propter il-  
lam, cito secúrus erit. Quó-  
niam dignos se ipsa cir-  
cuit quærens, et in viis

osténdit se illis hiláriter,  
et in omni providéntia oc-  
cúrrit illis. Inítium enim

illius veríssima est disci-  
plínæ concupiscéntia. Cu-  
ra ergo disciplínæ, dilé-  
ctio est; et diléctio, custó-  
dia legum illius est: cus-  
toditio autem legum, con-  
summátio incorruptiúnis  
est: incorruptio autem fa-  
ctio esse próximum Deo.  
Concupiscéntia itaque sa-  
piéntiæ dedúcit ad re-  
gnum perpétuum.

**R.** Benedictio peritúri  
super me veniébát, et cor  
viduæ consolátus sum: ut  
illis se prior osténdat. \* Pater eram páuperum

et causam quam nesciébam,  
diligéntissime inve-  
stigábam. **V.** Rex, qui jú-  
dicat in veritate páupe-  
res, thronus ejus in ætér-  
num firmábitur. — Pater.

**Lectio iij.**

**S**I ergo delectámini  
sédibus et sceptris, o  
reges pópuli, dilígite sa-  
piéntiam, ut in perpétuum  
regnétis. Dilígite lumen  
sapiéntiæ omnes, qui præ-  
estis pópulis. Habébo pro-  
pter hanc claritatem ad  
turbas, et honórem apud  
seniúres júvenis: et acú-  
tus invéniam in judicio, et  
in conspéctu poténtium  
admirábilis ero, et fácies  
principum mirabúntur  
me: tacéntem me susti-  
nébunt, et loquéntem me  
respicient, et sermocinánte  
me plura manus ori suo  
imponént. Prætérea habé-  
bo per hanc immortalitá-  
tem: et memóriam ætér-  
nam his, qui post me fu-  
túri sunt, relínquam. Dis-  
pónam pópulos, et natió-  
nes mihi erunt súbditæ.  
Timébunt me audiéntes  
reges horréndi; in multi-  
túdine vidébor bonus, et  
in bello fortis.

**R.** Quando procedébam  
ad portam civitátis, et in

platéa parábant cáthedram mihi : \* Príncipes cessábant loqui, et dígitum superponébant ori suo, vocem suam cohibébant duces. *R.* Rex, qui sedet in sólio iudicii, dissipat omne malum intúitu suo. — Príncipes. *Gloria* Patri. Príncipes.

In II. Nocturno.

*Añã.* In quo liberábo Israel? Ecce familia mea ínfima est : et ego mínimus in domo Patris mei.

*Añã.* In Dómino Deo Israel sperávit : itaque post eum non fuit símilis ei de cunctis régibus.

*Añã.* Abstulit cunctas abominatiónes de univérsis regiónibus filiórú Israel : et fecit omnes servíre Dómino Deo suo.

*R.* Os iusti meditábitur sapiéntiam. *R.* Et lingua eius loquétur iudícium.

*Lectiones ut in fine Brev.*

*R.* iv. Leváte signum, exaltáte vocem, leváte manum; vox multítudinis in móntibus, vox géntium congregatárum. \* Dóminus exercítuum præcepit militiæ belli. *R.* Prælia Dómini tui præliáris, et inimicórum tuórum ánima rotábitur quasi in impetu et círculo fundæ. — Dóminus.

*R.* v. Cum audisset Gédeon sómnum et inter-

pretatióem ejus, adorávit, et reversus est ad castra : \* Et ait : Súrgite, trádidit enim Dóminus in manus nostras castra Mádian. *R.* Advénerat vigília matutína, et ecce respiciens Dóminus super castra, interfécit exercítum, et subvértit rotas cúrruum. Dixérunt ergo : Fugiámus. — Et ait.

*R.* vj. Jéricho clausa erat atque munita, et nullus égređi audébat aut ingredi. Dixitque Dóminus ad Jósue : Ecce dedi in manu tua Jéricho, et regem ejus omnesque fortes viros : \* Clamáte et vociferámini, íte et circúte civitátem armáti, præcedéntes arcam Dómini. *R.* Omni pópulo vociferánte, et clangéntibus tubis cepérunt civitátem. — Clamáte. *Gloria.* Clamáte.

In III. Nocturno.

*Añã.* Egréssæ sunt mulieres de univérsis úrbibus Israel cantátes chorós, que ducéntes in occúrsum regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris.

*Añã.* Qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis, et omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt.

*Añã.* Fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum : fe-

cique tibi nomen grande, et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimicis tuis.

*R.* Lex Dei ejus in corde ipsíus. *R.* Et non supplantábuntur gressus ejus.

*Lectio* sancti Evangélii secúndum Matthæum.

*Lectio vij. Cap. 12.*

In illo témpore : Pharisæi consílium iniérunt, ut cáperent Jesum in sermóne. Et reliqua.

*Homilia* S. Leónis Papæ.

*Serm. 20. de Pass. Domini.*

**E**UM multis modis, dilectíssimi, Judáica impietas laboraret, ut occasióem aliquam perpetránda in Dómino Jesum scéleris inveniret, hoc quasi insuperábile reperérunt, ut Dóminus mundi affectáti regni invidia perurgérent. Calumnióse et mináciter conclamárunť : Si hunc dimíttis, non es amicus Cæsaris : omnis enim, qui se regem facit, contradíct Cæsari. Sed formidábile fúerit nomen régium, ut pro império Cæsaris ópprimi debúerit novæ mollitio potestátis, si dominánda concílium tyránicus tibi pródidit apparátus, si provisio armórum, si divitiárum congregátio, si præsidia delécta sunt militum. Quid eum gravári sinis de affectáta

poténtia, cujus speciális fuit de humilitáte doctrína? Románis légibus non contradíxit, censum súbiit, didráchma solvit, vectigália non inhíbuit, quæ Dei sunt Deo, et quæ sunt Cæsaris Cæsari reddénda constituit. Paupertátem elégit, obediéntiam suásit, mansuetúdinem prædicávit. Hoc est vere non impugnáre Cæsarem, sed júváre.

*R.* Congregávit omnes sacerdótes de civitatibus Juda, et contaminávit excélsa : \* Præcepitque rex pontifici et sacerdótibus secúndi órdis, ut projicerent de templo ómnia vasa, quæ facta fúerant Baal. *R.* Ascéndit rex templum Dómini, et omnes viri Juda cum eo, sacerdótes et Prophætæ. — Præcepitque.

*Lectio viij.*

*Ad Marc. Aug. Epist. 89.*

**U**nde ineffábiliter Deo grátias ago, qui eo témpore, quo oboritúra hæreticórum scándala præsciébat, in impérii vos fastígio collocávit, in quibus ad totíus mundi salutem et régia poténtia et sacerdotális vigéret industria. Multa mihi in ómnibus causa gaudénda est, dum ex magna diviná providétiæ misericórdia

præstitutum humanis rebus expior, quod ecclesiasticam pacem, quæ non nisi unitate prædicationis evangelicæ custoditur, piissimo studio iuvare dignamini: ut fidei vestræ glória non solum utilitate reipublicæ, sed etiam religionis profectibus augeatur, gloriosissime Auguste. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quod probasse vos observantiam de custodia canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicastis. Et merito geminatur gaudium meum, cum vobis religiosissime placere cognosco, ut et fides suam teneat firmitatem, et privilegia Ecclesiarum illibata permaneant.

**R.** Manet invictus rex in æternum. Quis sufficit enarrare opera illius? Quis investigavit magnalia ejus? \* Magna et mirabilia sunt opera tua, rex sæculorum. Quis non timebit te? **V.** Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. — Magna. Glória. Magna.

**Lectio ix.**

**Ad Leon. August. Ep. 125.**

**A** Pud christianissimum igitur principem, et inter Christi præ-

dicatores digno honore numerandum, utor catholica fidei libertate, et ad consortium te Apostolorum et Prophetarum securus exhortor; ut constanter despicias ac repellas eos, qui ipsi se christiano nomine privare: nec patiaris impios parricidas sacrilega simulatione de fide agere, quos constat fidem velle evacuare. Cum enim clementiam tuam Dominus tanta sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ presidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo et quæ bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas, depellendo scilicet invasores juris alieni, ut correctionibus tuis Dei iracundia mitigata regiae civitati non retribuatur quæ admissa sunt, sed remittat. Constatue ante oculos cordis tui, venerabilis imperator, omnes qui per totum orbem sunt Domini Sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi est redemptio, supplicare.

Te Deum laudamus.

**AD LAUDES,**

**et per Horas, Añæ.**

**1.** Clamabunt ad Dominum \* a facie tribulantis, et mittet eis propugnatorem, qui liberet eos.

**2.** Vindicabo gentem meam \* et sancta, quia congregatae sunt Gentes contèrere nos inimicitiae gratia.

**3.** Et accensus est \* spiritus populi, dicentis: Tu es dux noster, pugna proelium nostrum, et omnia quaecumque dixeris nobis, faciemus.

**4.** Animæ quiõres estote, \* filii, clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum.

**5.** Sanctificate bellum, \* suscitete robustos, accendant, ascendant omnes viri bellatores: infirmus dicat, Quia fortis ego sum.

**Capitulum. 1. Mach. 3.**

**F**acile est concludi multos in manus paucorum; et non est differentia in conspectu Dei cœli, liberare in multis, et in paucis, quoniam non in multitudinem exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.

**Hymnus.**

**B**ella gesturus pia Ferdinandus, Non timet fatum dubiamve sortem;

Spem fovet certam, Superum benigna Luce vocatus.

Ferros nexus ratis acta venti

Impetu frangit; stupet atque vinci

Bætis exsultat, placidasque volvit

Mollius undas.

Ipsa victrices veneranda Virgo

Anteit turmas, ope cujus urget

Rex pius bellum, superatque pugna

Victor in omni.

Vicit et mortem: super astra namque

Et super cœlos anima recepta,

Integrum corpus sine labe gratos

Spirat odores.

Agminum Ductor, Deus unus, una

In tribus virtus, tibi corda semper

Glóriam cantent, tibi nostra soli

Arma triumphent.

Amen.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas.

**R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Benedictus, Añæ.**

Rex lætatus est \* gaudio magno, benedixitque Domino, et ait: Benedictus es, Domine Deus Israel:

tua est magnificentia et



potentia et gloria, atque victoria; tu dominaris omnium, et tu es super omnes principes.

**Oratio.**

**D**Eus, qui beato Confessori tuo Ferdinando proeliari proelia tua et fidei inimicos superare dedisti: concede, ut ejus nos intercessionem muniti, ab hostibus mentis et corporis liberemur. Per Dominum.

**AD TERTIAM.**

**Capitulum.** Facile est. ut supra.

**R.** br. Amavit eum Dominus, \* Et ornavit eum. Amavit. **V.** Stulam glorie induit eum. Et ornavit. Gloria Patri. Amavit.

**V.** Os justi meditabitur sapientiam. **R.** Et lingua ejus loquetur iudicium.

**AD SEXTAM.**

**Capitulum.** Prov. 16. **I**N hilaritate vultus regis vita: et clementia ejus quasi imber serotinus. Posside sapientiam, quia auro melior est; et acquire prudentiam: quia pretiosior est argento.

**R.** br. Os justi, \* Meditabitur sapientiam. Os justi. **V.** Et lingua ejus loquetur iudicium. Meditabitur. Gloria Patri. Os.

**V.** Lex Dei ejus in corde ipsius. **R.** Et non

supplantabuntur gressus ejus.

**AD NONAM.**

**Capitulum.** 2. Reg. 22.

**Q**uis est Deus prater Dominum: et quis fortis prater Deum nostrum? Deus, qui accinxit me fortitudine, et complanavit perfectam viam meam.

**R.** br. Lex Dei ejus, \* In corde ipsius. Lex Dei. **V.** Et non supplantabuntur gressus ejus. In corde. Gloria Patri. Lex Dei.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**IN II. VESPERIS.**

**Omnia ut in primis, prater sequentia.**

**V.** Justum deduxit.

**Ad Magnificat, Aña.** Benedixit Deum celi, et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum a seculo et usque in seculum: quia sapientia et fortitudo ejus sunt. Et ipse mutat tempora et aetates: transfert regna atque constituit. Tibi, Deus patrum nostrorum, confiteor teque laudo: quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi.

**Commem. sequentistantum.**

DIE XXXI. MAIL.  
**B. Mariæ Virginis  
Reginæ Sancto-  
rum Omnium et  
Matris pulchræ  
Dilectionis.**

**Duplex ij. classis.**

**Omnia ut in Festis  
B. M. V. prater sequentia.**

**IN I. VESPERIS.**

**Si dicendæ sint integræ,  
Aña et Capit. de Laud.**

**Hymn.** Ave maris stella.  
**V.** Gloria et honore coronasti eam Domine.

**R.** Et constituisti eam super opera manuum tuarum.

**Ad Magnificat, Aña.** Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei: in me omnis gratia viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis.

**Oratio ut in Laudibus.  
Et non fit Commem.  
Octavæ.**

**AD MATUTINUM.**

**Invitat.** Gloriam beatæ Virginis Mariæ celebramus: \* Christum ejus Filium adoremus Dominum. **Ps.** Venite.

**Hymnus.** Quem terra.

**IN I. Nocturno.**

**Aña.** Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus.

**Aña.** Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias; tu vero supergressa es universas.

**Aña.** Byssus et purpura indumentum ejus: fortitudo et decor indumentum illius.

**V.** Gloria et honore coronasti eam Domine. **R.** Et constituisti eam super opera manuum tuarum.

De libro Ecclesiastici.

**Leccio j. Cap. 24.**

**E**GO ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in caelis ut oriretur lumen inefficiens, et sicut nebula texi omnem terram: Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columba nubis. Gyrum caeli circui sola, et profundum abyssi penetravi; in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti, et in omni populo, et in omni gente primatum habui, et omnium excellentium, et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quaesivi, et in hereditate Domini morabor. Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabitata, et in

Israel hereditare, et in electis meis mitte radices.

**R.** Adamavit eam Dominus super omnes mulieres, \* Et posuit diadema regni in capite ejus. **V.** Accipit regnum decoris et diadema de manu Domini. — Et posuit.

**Lectio ij.**

**A**B initio et ante secula creata sum, et usque ad futurum seculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: et quasi storax, et galbanus, et ungula et gutta, et quasi Libanus

non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus.

**R.** Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implerini: \* Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum. **V.** Qui audit me, non confundetur: et qui elucidunt me, vitam aeternam habebunt. — Spiritus.

**Lectio iij.**

**E**GO quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis: in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implerini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel, et favum. Memoria mea in generationes saeculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non

peccabunt. Qui elucidunt me, vitam aeternam habebunt.

**R.** Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo; \* Per me reges regnant, per me principes impetrant, et potentes decernunt justitiam. **V.** Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. — Per me. Gloria Patri. Per me.

In II. Nocturno.

**Añā.** Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

**Añā.** Dabit capiti tuo augmentum gratiarum, et corona inclita proteget te.

**Añā.** Praeposuit eam Dominus super universum regnum suum, et dedit ei diadema, ut regnaret.

**V.** Stola jucunditatis induit eam Dominus. **R.** Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

Sermo sancti Thomae Episcopi.

**Lectio iv.**

S. Thom. a Villan. Conc. 2. de Nativit. B. M. V.



Irginis gloria omnis intus est, et magis cogitari potest, quam describi: sufficitque ad ejus ple-

nam historiam quod scriptum est: de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Quid amplius quaeris? Quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est. Quenam obsecro, pulchritudo, quenam virtus, quae perfectio, quae gratia, quae gloria Matri Dei non congruit? Solve cogitationibus habenas, dilata intellectus fimbrias, et describe apud te in animo virginem quamdam purissimam, prudentissimam, pulcherrimam, devotissimam, humillimam, mitissimam, omni gratia plenam, omni sanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornata, omnibus charismatibus decoratam, Deo gratissimam: quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum adde: major est ista Virgo, excellentior est haec Virgo, superior est Virgo ista. Si ancillas suas et ministras domus suae potentissimus Deus ita magnifice decoravit, ita donis et gratiis venustavit; qualem existimas condidit Matrem suam, unicam sponsam suam, quam sibi ex omnibus elegit, et prae omnibus adamavit?

**R.** Quae est ista quae processit sicut sol, et formosa

tamquam Jerúsalem? \* Vidérunt eam filiae Sion, et beátam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. **V.** Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosárum, et lília convállium. — Vidérunt.

**Lectio v.**

**A**udi Prophétam : Astitit regína a dextris tuis in vestitu deauráto, circumdata varietáte, et filiae Tyri in munéribus vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis. Adducéntur Regi virgines, sed post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. Omnis, inquam, virginum candidátus chorus hujus laudes cóncinit, omnes vultum ejus deprecántur, et eam, velúti Reginam venerántur et colunt : ómnibus eam Altíssimus præpósuit, non solum virginis, sed étiam angélicis choris, quia Mater ejus est, et Matrem Dei decet omnis celsitúdo. O miram puéllam sui Creatóris Matrem! O stupéndam dignitátem, ut fémina hábeat cum Deo comúnem filium, cui dicat, ut Pater : Filius meus es tu; et sit puélla mater ejus cujus Deus pater est! Sed Filius ad dexteram Patris sedet : Mater ad dexteram Filii,

mutuóque comúnem Filium beátis óculis médium conspiciunt. Videt Pater in Filio persónam, quam ab ætérno génuít : videt Mater in eo natúram humanam, quam in suis viscéribus assúpsit in témpore. Cómplacet Pater in Filio : gaudet Mater in Filio. Ait Pater Filio : Ex útero ante lucíferum génuí te; ait Mater eidem Filio : Ex útero Virgo génuí te. Stupet de sua glória, neque suam valet ipsa comprehénderé celsitúdinem : eo enim ipso quo Mater Creatóris effécta est, ómnium creaturárum jure óptimo dómina, regínaque constitúta est. Vere fecit tibi magna, qui potens est, o María : vere ex hoc quod Matrem suam te constitúit, beátam te dicent omnes generatiónes sæculórum, et nati eórum, et qui nascéntur ex illis.

**R.** Ornátam monilibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit : \* Et vidéntes eam filiae Sion, beatíssimam prædicáverunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. **V.** Astitit Regína a dextris tuis in vestitu deauráto, circumdata varietáte. — Et vidéntes.

**Lectio vj.**

**H**OC nomen ex ómnibus ipsa in libro Ecclésiástici sibi delégerat, dicens : Ego mater pulchræ dilectiúnis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. Ac si diceret : Quid me áliis nomínibus nuncupátis? Hoc solo nómine dignor, hoc solo cupio nuncupári vocabulo, in meam laudem hæ solum præ áliis persónent voces, in his mihi suprámodum compláceo verbis. Nihil me ita deléctat audire, quam cum dicitur mihi : de qua natus est Jesus. Audi ergo, piíssima, audi clementíssima, de qua natus est Jesus. Hoc est enim nomen super omne nomen puræ creaturæ, in quo nemo tecum participat, o Virgo. Cui enim aliquándo, non dicam hóminum, sed étiam Angelórum dixit : Mater mea es tu, Filius tuus sum ego? Hoc autem sicut summæ dignitátis, ita étiam perfectiúnis nomen est; summa enim humanæ creaturæ perfectiúnis vitæ hujus tota in amóre Dei est : ómnium autem amórum vitæ præsentis, nullus est tantus, quantus matris ad filium. Hoc itaque matris honóre, sola Virgo gaudes, sola dotáris, tibi

soli cum supérno Parénte comúnis est Filius, et quantum creaturæ fas est, simillimus amor : amat Angelus, sed ut Dóminus : amat Virgo, sed ut Filium. Ac proinde Angelus ab ipso redamátur, sed ut servus; sed Virgo redamátur ut mater, in utróque beáta, et quia sic amat, et quia amátur ab illo. Huic ergo pleno gaudio jubilémus : est enim unde apud ipsam quodámodo gloriémur.

**R.** Favus distillans lábia tua, mel et lac sub lingua tua, \* Et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. **V.** Pulchra es amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terribilis ut castrórum ácies ordináta. — Et odor. Glória Patri. Et odor.

In III. Nocturno.

**Añá.** Annuntiáte intergentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabilia ejus.

**Añá.** Induit eam Dóminus vestiméntis salútis et induménto justitiæ, quasi sponsam decorátam coróna.

**Añá.** Immortális est memória illius, et in perpétuum coronáta triúmphant.

**V.** Posuisti Dómine super caput ejus. **R.** Coronam de lápide pretiósó.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

**Lectio vij. Cap. 19.**  
**I**N illo tempore : Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cléophæ, et Maria Magdaléne. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Damiani.

Ex Serm. 1. de Nativ. Virg. in fine.

**M**iranda Dei Génitrix, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, subveni domina clamantibus ad te júgiter, revértere, revértere, Sunamitis, revértere, revértere, ut intueamur te. Tu, benedicta, et super benedicta, revértere primo per naturam. Numquid quia ita deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam, domina : scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jáceant, quantum delinquant, servi tui : non enim convenit tantæ misericordiæ, tantam miseriám oblivisci; quia etsi subtrahit glória, révocat natura : non enim ita memoraris justitiæ Dei solius, ut misericordiam non hábeas, neque ita es impassibilis, ut sis impassibilis. Naturam nostram habes, non áliam; et justum est, ut de rore

tantæ pietatis diffúsius infundamur.

**R.** Accépit regnum decóris et diadéma speciéi de manu Dómini : \* Quóniam dextera sua reget nos, et bráchio sancto suo próteget nos. **V.** Tamquam si cui mater blandiatur, ita et ego consolabor vos. — Quóniam.

**Lectio viij.**

**R**evértere secundo per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in celo et in terra. Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperátos in spem beatitudinis releváre. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accédís enim ante illud áureum humanæ reconciliatiónis altáre, non solum rogans, sed impetrans, domina, non ancilla. Móveat te natura, poténtia móveat, quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debébis. Pótestati enim cedit ad glóriam, injúrias ulcisci nolle cum possit. \* Revértere tertio per amórem. Scio domina, quia benigníssima es, et amas nos amóre invincibili, quos in te et per te Filius tuus et Deus tuus summa dilectióne di-

léxit. Quis scit, quóties refrigeres iram júdicis, cum justitiæ virtus a præsentia Deitatis egréditur?

**R.** Quæ est ista quæ ascéndit sicut virgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? \* Quæ est ista quæ ascéndit deliciis áffluens, innixa super dilectum suum. **V.** Amica mea pulchra, suávis, decóra sicut Jerúsalem, terribilis ut castrórum ácies ordináta. — Quæ est ista. Glória Patri. Quæ est.

**Lectio ix.**

**R**evértere quarto per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri miseratiónum Dómini, et sola élécta es, cui grátia concéditur. Absit, ut cesset manus tua cum occasione quæras salvánda miseros, et misericordiam effundénda : neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum pœnitentes ad véniam justificáti, ad glóriam assumúntur. Revértere ergo Sunamitis, id est, despécta, cujus animam pertransívit gládus, quæ fabri uxor appelláta fuisti. Ad quid? Ut intueamur te. Summæ glóriæ est, post Deum, te vidére, adhærere tibi, et in tuæ protectionis munimine demorári. Audi nos, nam et Filius nihil negans

honórat te, qui est Deus benedictus in sæcula sæculórum.

Te Deum laudamus.

**Si ix. Lectio debet recitari de Dominica vel de Simplici, tunc ex tribus Lectionibus duæ fient, nempe prima usque ad \* Revértere tertio. secunda usque ad finem.**

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Adamávit eam Dóminus \* plus quam omnes muléres, et pósuit diadéma regni in cápite ejus.
2. Pósuit super caput ejus \* diadéma, ut ostenderet cunctis pópulis et princípibus pulchritudinem ejus.
3. Tu glória Jerúsalem, \* tu lætítia Israel, tu honorificéncia pópuli nostri.
4. Veni de Líbano, \* sponsa mea, veni de Líbano, coronáberis.
5. Fulcíte me flóribus, \* stipáte me malis, quia amóre lángueo.

**Capitulum. Prov. 8.**

**E**GO diligétes me diligo, et qui mane vigílant ad me, invénient me. In viis justitiæ ámbulo, ut ditem diligétes me. Qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.